

tur, ut vix aliquid in petitorio coram Iudice ecclesiastico supersit proponendum.

36 Si causa spectet decimarum infenatarum collationem, moribus hodiernis sibi privative etiam in petitorio vindicat tribunal Regium, quia decimæ infenatæ veluti patrimoniales censentur, ut portio congrua ex eis desumenda quasi pars illarum spectetur.

Cap. 8.
De Dom.
Paroch.

37 Ex regulis juris civilis alimentis legatis non tantum cibaria, & vestitus, sed & habitatio debetur, quia inquit Javolenus, sine his ali corpus non potest. Refert. L. 6. ff. de Aliment. Legat.

38 Jure tamen Canonum domus Parochialis à portione congrua separari videtur, quia ædes Parochiales, veluti pars Ecclesiæ, spectari solent, ut eas ex fundo fabricæ Ecclesiæ extrui, repararique oporteat, aut, si fundus fabricæ desit, ad eos recidat onus, qui ad Ecclesiam construendam restituendamque tenentur. Hinc eo exemplo, moderamineque cura, & expensa domus Pastoralis pro diversa locorum consuetudine alibi Parochianis, alibi Decimatoribus, alibi utrisque incumbit, quia reparatio domus Parochialis iisdem legibus, quibus reparatio Ecclesiæ, regitur.

39 Huc spectant sumptus majores. Nam quotidianas reparaciones, utpote modicas, ipse Pastor, veluti usufructuarius, ferre debet. Hinc ea est alibi communis praxis, quod Pastores ad minores, & ordinarias, Decimatores vero, aut Parochiani ad majores, & extraordinarias reparaciones teneantur. Arg. L. 7. §. 2. ff. de Usufr.

40 Reliquum est vel Superioribus ecclesiasticis, vel & Decimatoribus, qui ad reparaciones majores tenentur, Pastorem in sartis tectis servandis sui officij onere, de defectu ordinariæ reparacionis ædes majus periculum subeant. Nonnulli cautum est: Quod si ædes hujusmodi Pastorales defuncti Pastoris negligentia destructæ, seu labefactæ comperiantur, hoc totum expensis hæredum, & hæreditatis restitui deberet, ita tamen, quod infra annum ab obitu Pastoris per Justitarios loci fiat domus visitatio, si testatus decesserit. Quodsi intestatus fuerit, mox à sepultura defuncti fiat visitatio, aut saltem, antequam ipsius bona per Officiarios — prehendantur.

41 Quantum ad suppellectilem domus hæc tota recidit ad onus (a); & arbitrium Pastoris, ea tamen lege, ut nihil in ea resplendeat, quod fastum, & luxum sæculi redoleat, aut ab honestate, modestia, & continentia alienum sit, quod in eo offi-

(a) Trid. sess. 25. cap. 1.

ficio non propria commoda, sed lucra Christi sectanda sunt toto vitæ genere.

* 42 In morali doctrina quid inde salubrius superest, quum justas ideas mercedis evangelicæ, veluti veræ portio- nis congruæ suscitare. Juxta S. Gregorium (a): Itaque considerandum est, quod uni nostro operi duæ mercedes habentur: una in via, altera in patria: una, quæ nos in labore sustentat, alia, quæ nos in resurrectione remunerat. Merces itaque, quæ in præ- senti accipitur, hoc debet in nobis agere, ut ad sequentem mercedem robustius tendatur &c. Ait B. Augustinus (b): Neque ideo debemus evangelizare, ut manducemus: sed ideo manduca- re, ut evangelicemus: nam si propterea evangelizamus, ut manducemus, vilius Evangelium, quam cibum &c. Et alibi (c): Non redditur sustentatio necessitatis à populo, quasi merces il- lis, qui in charitate serviunt, sed tanquam stipendium, quo, ut possint laborare, pascantur. Ecce ex crisi Synodi Aquisgranen- sis veras ideas (d)! Quia secularis militia caelestia non habet, terrena strenue militantibus præstat: qui autem Ecclesiæ ser- viunt, & labori suo velut debita reddi oportere credentes ea, quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt, si putant, quod Ecclesiæ servientes, stipendia terrena, & non potius præmia æterna percipiunt.

TIT. XVIII.

De Immunitate Ecclesiasticorum Bonorum.

CAP. I.

De Veteribus Privilegiis.

I In veteri pauperie Ecclesiæ multi Clerici eo adacti sunt, ut aut ex labore manuum suarum, id est, opificio, aut artificio, aut tenui quadam, & honesta negotiatione victum sibi pararent. Reliquæ enim possessiones præditorum, & fundorum, Ecclesiæ aut exiguæ, aut nullæ erant.

2 Beneficio Constantini M. accreverunt facultates (e), & possessiones Ecclesiarum, quibus aliquando Imperator sat (f) amplum immunitatis privilegium à rei tributariæ collatione concessit, quod tamen à sequentibus Imperatoribus revocatum, aut temperatum abhinc fuisse constat.

Epist. Van-Erpen. T. II.

Ee

Cons-

(a) S. Greg. hom. 17. (b) S. Aug. de serm. Dom. in Mont. lib. 2. cap. 16.

(c) Idem de Past. c. 2. (d) Synod. Aquisgr. c. 107. (e) Gothofr. ad L. I. C.

(f) Theod. de SS. Eccl.

3 Constantius fuit privilegium Constantini, quo Clericos à functionibus, & muneribus civilibus per immunitatem personalem absolvit. *Ne, inquit, sacrilego libore quorundam à divinis obsequiis avocentur.* Ecce rationem, quam passim leges commendant. *L. 2. C. Th. de Episc. & Cler.*

4 Successit uberius privilegium Clericorum beneficio posteriorum Imperatorum. Hinc enim ab hospitandis militibus, à sordidis muneribus, & Angariis, & pensitandis vectigalibus negotiationum excusantur. Dicebantur sordida, & extraordinaria munera refectiones viarum publicarum, pontium &c. Angariæ, parangariæque dicebantur præstationes jumentorum, & plaustrorum ad transvectionem annonæ militaris, aliarumque rerum fiscalium per viam rectam, & obliquam. *L. 2. C. Just. dict. tit.*

5 Inter hæc privilegia patrimonia Cleri haud ab ordinariis tributis eximebantur. *De his Clericis, qui prædia possident, non solum eos aliena juga nequaquam excusare; sed etiam pro his prædiis, quæ possidentur ab ipsis, eosdem ad pensitanda fiscalia perurgeri oportet.* *L. 3. C. de Episc. & Cler.*

6 Imo vero & Ecclesiæ ex possessionibus, & agris suis ad ordinaria tributa tenebantur. Ait diserte S. Ambrosius: *Agri Ecclesiæ solvunt tributum, — solvimus quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Tributum Cæsaris est, non negatur.* Ex variis locis S. Ambrosii superest. *c. 21. XXIII. q. 8.*

7 Theodosius junior soli Ecclesiæ Thessalonicensi immutatis privilegium tribuit, ea cautela, ut nequaquam aliæ Ecclesiæ id beneficium sibi arrogare possint. *L. 33. C. Theod. de Annon. & Tribut. L. 12. C. Just. ibi.*

8 Quum Justinianus præcepit, Africanis Ecclesiis bona, ab Arianis ablata, esse restituenda, eam clausulam adjecit, *ut tamen publicas pro iis pensiones, utpote tributa consueta, conferant.* Refert. *Nov. 37.*

9 Alibi Imperator officinas funebres Constantinopoli ab exactione publicorum tributorum absolvit; sed ea conditione, ut cæteræ omnes, sive SS. alicujus sint Ecclesiæ, sive Hospitalium, sive Monasteriorum &c. ipsis imposita præstent publica vectigalia. Inquit Imperator: *Neque enim sustinemus aliorum onus ad alios deferri, aut tam immitem proponere formulam, ut quotidie vectigalia augeantur.* Refert. *Nov. 43. c. 1. §. 1.*

10 In Occidente Principes Gothi Ecclesias generalius immunitate donarunt. In Concilio Aurelianensi I. (a) laudarunt Clodovæi Regis Constitutio, qua agrorum & Clericorum im-

(a) Conc. Aurel. I. cap. 5.

munitas conceditur de Regiis oblationibus, & donationibus.

11 Refert Gregorius Turonensis Clotarium (a) aliquando edixisse, *ut omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum fisco dissolverent;* reliquis Episcopis assentientibus, B. Injuriosum Episcopum Turonensem renuisse. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem B. Martini, misit post eum, cum muneribus veniam precans, & hoc, quod fecerat, damnans. Refertur abhinc sat ampla Constitutio Clotarii, qua plenam immunitatem Ecclesiis tribuit, aut confirmat; atque hanc sub finem vitæ, si vera sit, editam esse, censet Thomasinus (b).

12 In Capitularibus Francorum frequens immunitatis ecclesiasticæ hujus est argumentum: Sanxit Ludovicus Pius, *ut unicuique Ecclesiæ mansus unus* (qui plerumque constabat XIII. jugeribus terræ arabilis, cum aliquot mancipiis) *integre absque alio servitio attribuat* &c. Refert. *c. 25. XXIII. q. 8.*

13 Hæc immunitas spectabat Parochias rurales. Quid ergo de Ecclesiis civitatis, & Monasteriis? Inquit Capitulare: (c) *Volumus, atque decernimus, ut omnes intelligant, non solum claustra Monasterii, vel Ecclesiæ, atque Castitia Ecclesiarum sub immunitatis defensione consistere, verum etiam domus, & villas, & septa villarum, & piscatoria manu facta; & quidquid fossis, aut sepibus, vel etiam alio clausularum genere præcingerit, eodem immunitatis nomine contineri.*

14 Et alibi (d): *Possessiones ad religiosa loca pertinentes nullam descriptionem agnoscant, nisi ad constitutionem, viarum, vel pontium, si tamen intra eadem loca habuerint possessiones. In aliis omnibus habeant integram immunitatem.*

15 Quippe quoad illos fundos Ecclesiæ, qui viis publicis adjacent, reparationes viarum publicarum veluti onera rebus innata spectantur. Sic Justinianus Ecclesiarum prædia, & latifundia à sordidis functionibus, & extraordinariis oneribus exempturus, diserte excepit publicarum viarum, pontium, & publicorum operum restorationes, ædificationesque. *Nov. 131. cap. 5.*

16 In Capitularibus altera exceptio est de iis fundis (e), qui publicis vectigalibus aliunde obnoxii sunt. Præcipit lex: *Ut de rebus, unde census ad partem Regis exire solebat, si ad aliquam Ecclesiam traditæ sunt, aut reddantur propriis hæredibus, aut, qui eas retinuerit, illum censum persolvat, quia res transit cum suo onere.*

17 Inter recentiores Imperatores vetat Fridericus II., ne

Et 2

quæ-

(a) Greg. Turon. lib. 4. Hist. Franc. c. 2. (b) Thomas. P. 2. lib. 3. cap. 5. (c) Capit. lib. 3. c. 279. (d) Lib. 6. c. 109. (e) Lib. 3. c. 86. lib. 4. c. 37.

quædam Communitas, vel Persona publica, privataque collectas exactiones, angarias, vel parangarias Ecclesiis vel aliis piis locis, ecclesiasticisque personis imponere præsumat. *Auct. item nulla de Episc. & Cleric.*

Cap. 2.
De Jur.
Nov. Decr.

18 Jure novo instauratur vetus Decretum, quod Gratianus Concilio Wormatiensi, aut veteri nomine Guarmatiensi, inscribit, ut unicuique Ecclesie unus mansus integer absqua ullo servitio tribuatur &c. Refert. c. 1. de Cens.

19 Hic Mansus dos Ecclesie censebatur. Proinde immunitas Ecclesie aliquando ad possessiones, quæ Ecclesiarum dotem constituiebant, restringebatur. Inde subditur: *Et si amplius aliquid habuerint vel Ecclesie, vel Clerici, inde Senioribus suis debitum servitium impendant.* Refert. cap. 25. XXIII. q. 8. c. 1. de Censib.

20 Inde sæculo IX. & X. privilegium immunitatis soli doti Ecclesiarum suffragabatur. Concilium Valentinum III. (a) anno 855. Statuit: *Dotes vero à fidelibus designatæ Basilicis— vindicentur, nullaque redhibitio census inde à quolibet sæculari erigatur.*

21 Sæculo XI. cœpit privilegium immunitatis non tantum ad omnia bona Ecclesiarum, sed & ad patrimonia privata Clericorum prorogari. Decernit sub Urbano II Concilium Melphitanum (b): *Nè gravamen aliquod Sancta patiatur Ecclesia, nullum jus laicis in Clericos esse volumus— Neque liceat laicis exactionem aliquam pro Ecclesie beneficiis, aut paternis, matrisve facultatibus quærere.*

22 Hoc exemplo recentiores novi juris auctoritates jactant, quæcunque bona Ecclesiarum, & Clericorum ab exactionibus, & collationibus civilium indictionum esse exempta. c. 4. & 7. de Immunit. Eccles.

23 Ex sententia Bonifacii VIII. (c) tam amplum privilegium immunitatis non tam ex jure humano, quam ex jure divino, (utpote exemplis veteris scripturæ) explicare oportet. cap. ibi in 6.

24 Sic & S. Synodus Tridentina (d) monet Principes, ne permittant, ut Officiales aut inferiores Magistratus Ecclesie, & personarum ecclesiasticarum immunitatem, *Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent.*

25 Nostris moribus vulgare est, quod immunitas Ecclesiarum, exemplo veteris Mansi, ad bona prima foundationis, vel amor-

(a) Conc. Valent. III. cap. 9. (b) Conc. Melphis. c. 12. (c) Genes. 49. l. 1. & dr. cap. 7. (d) Trid. sess. 25. cap. 20.

amortizata, vel aliquo tempore ut talia possessa, restringantur, ut reliqua bona à publicis contributionibus haud excusentur. *Arg. c. 1. de Cens.*

26 Bona patrimonialia Clericorum per omnia ad conditionem bonorum laicalium æstimantur. Immunitas abhinc Clericis superest personalis, aut mixta, quod excusentur ab hospitio militum, capitatione, aut alio obsequio publico, nisi gravis necessitas Reipublicæ incumbat. c. 2. de Immunit. Eccles.

27 In Gallia variæ sunt leges, & contractus, quos Reges cum Clero de Immunitate inierunt Refert has, & illas D. de Hericourt (a). In Germania superest Pragmatica sanctio Leopoldi Imper. de ann. 1679. quam integram exhibet Boehmerus (b).

28 Reliquus locus est subsidiis, quæ Clericus Principi ad majores necessitates Reipublicæ liberaliter suppeditare tenetur. Veteri jure hæc annua dona vocabantur, quæ diversa pro diversitate facultatum, & possessionum ecclesiasticarum erant. In Conventu Aquisgranensi ann. 817. confectus est catalogus Monasteriorum, quorum quædam dona, & militiam, alia solum dona sine militia, pleraque solas orationes pro salute Regiæ familiæ, & stabilitate Imperii conferre tenebantur.

29 Ait Hincmarus Remensis (c): *Causa suæ defensionis Regi ac Reipublicæ vectigalia, quæ nobiscum annua dona vocantur, præstat Ecclesia, servans, quod jubet Apostolus: cui honorem, honorem; cui vectigal, vectigal.*

30 Novo jure commendat Alexander III. Clero, ut apparente necessitate Reipublicæ liberale subsidium ultro Principi offerat: *Ut absque ulla exactione ad relevandas communes necessitates, vel utilitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.* Refert. c. 4. de Immunit. Ecc.

31 Innocentius III. arbitrium harum necessitatum, & utilitatum abhinc sibi reservavit: *Propter imprudentiam tamen quorundam, inquit, Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere.* Superest. c. 7. ibi.

32 Hac occasione ægre tulit Bonifacius VIII., quod Clerus Gallicanus, inconsulto Papa, Decimam Philippo Pulchro Regi, quæ in sacras expeditiones reservari consueverat, in alias necessitates regni contulisset. c. 3. d. 1. in 6.

33 Orto inde dissidio inter Papam, & Regem, Benedictus XI. Bullam Bonifacii expunctis censuris, ad jus commune

Cap. 3.
de Subsid.
Cler.

(a) Heric. de LL. Eccles. p. 3. p. 307. (b) Boehm. J. E. lib. 3. tit. 49. n. 49. (c) Hinc de ordin. Palat.

ne reduxit. *Extrav. un. de Immunit. intr. Com.* Clemens V. vero eam penitus abrogavit. *Clem. un. d. t.*

34 In schismate Avenioniensi passim ipsi Pontifices Clero decimam suo arbitrio imponebant, & frequenter generaliter. Hinc in Concilio Constantiensi cautum est (a): *Per summos autem Pontifices nullatenus imponi generaliter decimas, & alia onera super totum Clerum, nisi ex magna, & ardua causa, & utilitate universalem Ecclesiam concernente, & de consilio, & consensu, & subscriptione S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum, quorum consilium commode haberi poterit. Nec specialiter in aliquo Regno, vel Provincia, inconsultis Prælati ipsis Regni, vel Provinciæ, & ipsis non consentientibus, vel eorum majore parte, & eo casu personas ecclesiasticas & auctoritate Apostolica duntaxat levare.* En jus Germaniæ per Imperium.

35 In Gallia, aliisque Provinciis hæreditariis decimæ, aut aliæ præstationes publicæ, reliquaque subsidia Cleri, nomine doni gratuiti, aut alio titulo in ordinarias, extraordinariasque contributiones pridem transierunt. Id alibi reliquum est, quod Clerus à ministris ecclesiasticis taxetur, collecteturque, tum pede reali, si tributa scripta sint in possessiones, tum pede personali, si personas spectent. Realia fundis imponuntur nullo habito respectu personarum, ita, ut & exteri tallientur, sive in contributiones vocentur in locis, ubi fundi siti sint. In personalibus non habetur ratio fundorum, sed personarum; inde fit Personis impositio respectu lucri, & proventuum in loco domicilii. Ex his facile videre est, quæ ratio ineatur, dum partim realis, partim personalis collectio fit.

36 Non convenit, quod Clerus in subsidiis taxetur à laicis, unde in Decreto Maximiliani, & Mariæ Brabantiæ Ducum 1479. legitur, quod Clerus consenserit in subsidium quoddam, sed componendum, & colligendum per Deputatos Cleri absque interventu laicorum. In Gallia quoque donum gratuitum, per Prælatos, non autem laicos distribui, & colligi notum est.

37 Declararunt non semel Principes, competentiam Pastorem exemptam à contributione ordinaria, extraordinariaque esse debere juxta c. 1. *de Cens.* Fuerunt quippe Principes semper solliciti, ut Parochis de competentia provideretur.

*38 In morali doctrina quid jucundius, quam veteris frugalitatis argumenta, & exempla revolvere? Ex sententia S. Ambrosii (b): *Ecclesia nihil sibi, nisi fidem piæ dispensationis*

(a) Conc. Const. sess. 43. (b) S. Amb. ep. 31.

tionis possidet. *Hos redditus, hos fructus præbet. Possessio Ecclesiæ est sumptus egenorum. Numerent, quos redemerint templa captivos, quæ contulerint alimenta pauperibus; quibus exulibus vivendi subsidia ministraverint.* Ait S. Chrysostomus (a): *quando ejus facultatum videris magnitudinem, cogita etiam inscriptorum pauperum greges, ægrotantium multitudinem, innumerabilium expensarum occasionem. Sumus etiam parati vobis reddere rationem. — Sumptus in causas afflicte Reipublicæ non sunt minores proventibus, sed etiam aliquando majores, quibus nihil aliud, quam frugalis vita Cleri, & tenuitas edendi potandique parcissime sufficere visa est. Juxta Concilium Parisiense VI (b). Cesset ergo ambitio, vel invidia, quæ dicere solet, nimis rerum habere Ecclesias Christi, & perpendat, quia, quantæque sunt res Ecclesiæ, si eo modo, quo dispensandæ sunt, dispensentur, nimis non sunt. Cupiditas quippe, imo negligentia quorundam dispensatorum, non Ecclesiæ, amplæ res in vitio sunt, quia spretis pauperibus, in luxum, & fastum Cleri absumuntur.*

T I T. XIX.

De Administratione & Alienatione bonorum Ecclesiasticorum.

C A P. I.

De Veteri Episcoporum Potestate.

1 **E**piscopos primitus fuisse rerum ecclesiasticarum primarios, ac præcipuos Dispensatores nos edocent SS. Canones. Canon. 41. vulgo Apostolorum ait: *Jubemus Episcopum rerum Ecclesiæ potestatem habere.*

2 Iisdem Episcopis tanquam piorum reddituum Administratoribus commendabatur cura pauperum, & egenorum. Inquit Concilium Antiochenum: *Episcopus habeat rerum Ecclesiæ potestatem, ut eas in omnes egentes dispense, cum multa cautione, & Dei timore.* Apud Gratian. c. 23. XII. *quest. 1.*

3 Primis ergo sæculis summa & libera administrationis, & dispensationis auctoritas penes Episcopum per singulas Dioceses stetit. Rationem reddit citatus Apostolorum Canon: *Si enim pretiosa hominum animæ sunt ei credendæ, multo magis sunt committendæ pecuniæ.* Superest c. 24. *ibi.*

In

(a) S. Chrys. hom. 2. in 2. ep. ad Corinth. (b) Conc. Paris. VI. c. 18.